

COROLLARIORUM

CAPUT I.

AD PANEGYRIN ARCHIEPISCOPI EBRODUNENSIS, EPISCOPI METENSIS.

Admirabile est hujus Orationis artificium. Si verba spectes, dulci omnia connexione sibi mutuo respondent. Si materiā examines, in brevi qvadam epitome exhibentur, qvæ hinc inde à Gallicis Scriptoribus per prolixa volumina diffunduntur. Interim sicut Gallia, habere putat, cur de tanto Oratore sibi gratuletur; sic Germani agnoscunt, posse sub verborum lenociniis latere, qvod rationi, qvod pietati, qvod historiæ sit contrarium. Sanè qvod mihi inter legendum Patriæ amor suppeditavit, facere non potui, qvin publicæ censuræ submitterem. Non qvasi animus sit debilem hunc calamum adversus sublimem illum. Regem stringere, qvod non nisi temerarii est; sed ut Oratori demonstretur, qvam parum laudis in hac laude Rex inveniat; imò qvantam habeat causam, Gloriosissimus Hic Monarcha, animadvertisendi in Panegyristam intempestivis deprædicationibus turgidum. Cæterum libet integrum negotium paucis qvæstionibus absolvere.

QVÆSTIO I.

An licitum sit Reges laudare in excessu?

§. I. Orator noster Panegyrin suam sic inchoat: *Il y a trois choses qui élèvent les Roys au plus haut point de la gloire: La Naissance, la vertu & la Fortune. Et paulò post: ces trois choses qvæ ne se rencontrent presque jamais à une même personne, paroissent aujour d'huyl en vostre Majesté avec tant d'éclat &c: Paulò infra: Le Ciel vous à veu Roy presqve aussi tost qu'homme, & sage aussi tost qvæ Roy, dans un aage ou les autres Princes ne se distinguent qvæ par l'eclat de leurs Couronnes, & par la pompe qu'les environne, vous vous estes distingué par des vertus toutes Royalles.*

I

§. II.